



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Titulus V. De præbendis & dignitatibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

num. 15. Sanch. cit. d. 46. num. 29. quos citat & sequitur Pirh. n. 30. & 31. Secundum dicta à nobis supra. Secus est, si post ductam secundam uxorem vel viduam, etiam eam mortuam, reassumat habitum clericalem; quia jam factus bigamus; per bigamiam autem dicta privilegia irrecuperabiliter amissa.

4. Tertia conditio novissimè addita per Trid. sess. 23. c. 6. de reform. nimirum ut alicujus Ecclesie ministerio vel servitio ab Episcopo deputatus, eidem deserviat vel ministret. Ceterum notandum hic, quod monet Delb. cit. du. 10. num. 10. Quod si clericus talis conjugatus à Judice seculari captus propter crimen, & detentus alleget & probet se clericum etiam per literas ordinatoris, & hinc petat se remitti ad forum ecclesiasticum, non statim remittendum, nisi doceat, se contraxisse cum una & virgine, & deportasse se habitum & tonsuram clericalem (quin etiam addendum ab eo videtur, se alicui Ecclesie ex deputatione Episcopi deservire) & de his cognoscendum à Judice ecclesiastico & non seculari. Atque hæc dicta de clericis minoribus citra dispensationem Apostolicam; si enim, ut censet Delb. l. c. num. 12. citans pro hoc determinationem S. Cong. Concil. die 24. Maji. & 17. Septemb. 1618. etiam Subdiaconus, qui ex Sedis Apostolicæ dispensatione duxit viduam & pensionem ecclesiasticam obtinet, privilegio fori gaudeat, multò magis id dicendum in eo casu de clerico conjugato in minoribus constituto.

5. Resp. tertio: Clerici in minoribus constituti conjugati, etiam servantes tres dictas conditiones, cæteris aliis privilegiis clericalibus excipiunt, & quò ad res suas seu bona reputantur

laici, ita ut non secus ac alii uxorati non clerici teneantur præstare consueta executiones, collectas, tributa, vestigalia, servitia, onera publica, nisi quò ad hæc etiam speciali lege, consuetudine vel privilegio eximantur; cum hæc non spectent ad privilegium canonis aut fori. ita Covar. pract. qq. c. 31. num. 9. Abb. in c. ex parte. h. t. num. 9. Barbof. ibid. num. 3. citans alios. Sanch. l. 7. d. 46. num. 16. Delb. l. c. du. 11. num. 9. & 10. citans insuper Paris. de resign. l. 41. q. 2. n. 100. Lambert. de jurep. l. 2. p. 1. q. 7. a. 3. n. 4. juxta c. unic. h. t. in 6. & Trident. l. c. dicens esse communem.

*Quest. 50. Num clerici conjugati servantes dictas conditiones amittant privilegium canonis & fori exercendo negotiationes?*

Resp. Videri probabilius, quòd non: eò quòd nullibi expressum in jure canonico, quòd clericis conjugatis (utpote qui in casibus expressis reputantur in omnibus laici) non liceat exercere honestam negotiationem victus gratià, sicut hoc interdictum aliis clericis non conjugatis. c. Joannes h. t. Dum ibi dicitur, quòd tonsura excentis secularia negotia videatur in ministerio seu status clericalis vituperium seu opprobrium redundare. Quippe qui absolute statum clericalem profitentur, ideòque indecens, si secularibus negotiis, etiam aliis licitis & honestis se immisceant. Ac ita tenent Franc. in cit. c. unic. §. & cum. num.

5. Covar. l. c. num. 9. Sanch. l. c. num. 26.

quos citat & sequitur. Pirh.

num. 32.

## TITULUS IV.

De

### Clericis non Residentibus in Ecclesia vel Præbenda.

Tractatus est hic Titulus integrè & accuratè à me in *For. benef. p. 1. à quest. 363. usque ad q. 425.* & quidem de obligatione residendi curatorum. à *q. 366. ad q. 395.* Ubi quo jure ad hoc obligentur. Cujus licentià, ut abesse possint, egeant. De causis eos à Residentia excusantibus. De onere residendi aliorum beneficiatorum non curatorum. à *q. 395. ad q. 425.* ubi quo jure & hi teneantur residere. De causis excusantibus eos à residendo. Qualiter in absentia lucrentur distributiones. De aliis concernentibus materiam distributionum.

## TITULUS V.

### De Præbendis & Dignitatibus.

Titulus hic plenè & fusè à me tractatus in *Foro benef. partim parte prima per totam.* Ubi de beneficiorum Natura, Origine, Exactione, speciebus singularumque conditionibus & qualitatibus à *quest. 1. ad q. 211.* De qualitatibus requisitis in promovendis ad beneficia à *q. 212. ad q. 363.* De oneribus & obligationibus beneficiatorum. à *q. 363. ad q. 434.* De potestate, juribus & emolumentis eorundem. à *q. 434. ad q. 464.* Et in specie de decimis. à *q. 464. ad q. 499. inclusive.*

Partim

Partim parte 2. ubi de provisione & obtentione beneficiorum. Et quidem de potestate Papæ in collatione beneficiorum & reservatione Apostolica in genere. à q. 512. ad q. 539. De reservatione inducta per Regulas Cancellariæ. à n. 539. ad q. 565. De alternativa concessa Episcopis per regulam octav. à q. 566. ad q. 589. De Concordatis Germaniæ. à q. 590. ad q. 502. De precibus primariis. à q. 602. ad q. 627. De potestate conferendi aliorum inferiorum, puta, Cardinalium, Legatorum Apostolicorum, Episcoporum, Capituli, Vicarii, Archidiaconi, Universitatum, Regum aliorumque laicorum, collatorum, ad quos devoluta collatio. à q. 639. ad q. 759. De personis, quibus conferenda beneficia. à q. 759. ad q. 767. De ipso actu collationis. à q. 768. ad q. 795. De possessione beneficiorum. à q. 798. ad q. 864. Quæ hic tractari solent ab aliquibus de expectativis, de pluralitate & incompatibilitate beneficiorum. De eorum vacatione, dismembratione, unione &c. Vide tractata sub sequentibus titulis hujus Libri 3.

## TITULUS VI.

### De Clerico ægrotante vel debilitato.

*Quæst. 51. An Clericus propter ægritudinem amittat beneficium aut fructus illius?*

**R** Esp. Clericus infirmitate impeditus, quod minus Ecclesiæ deservire, & officium suum præstare possit, non tantum non amittit beneficium, sed etiam pro residente & deserviente habetur, ita ut fructus beneficii sui & omnia, quæ sanus ab Ecclesia percipere poterat, ei integrè præberi debeant, ac si sanus Ecclesiæ deserviret; ne aliquin alii ejus exemplo detererentur, ac proinde non reperiantur ministri idonei, qui Ecclesiæ deservire velint, pro ut nicitur & statuitur c. 1. h. t. Quin etiam quotidianas distributiones percipere debet, ut constat ex c. unic. de cler. non resid. in 6. His non obstante, quod juxta probabiliorem, quam tenet Covar. loc. paulo post cit. Castrop. p. 2. de relig. d. 3. p. 9. §. 1. num. 34. Barbol. in c. 1. h. t. num. 5. citatis plurib. Azor. p. 3. l. 8. c. 54. q. 3. Pirh. de cler. non resid. num. 86. famulo pro tempore infirmitatis non debeatur salarium. Nam Ecclesia agit mitius cum suis ministris, eosque non ut famulos tractat, Azor. Castrop. Pirh. LL. cit.

2. Extendunt hæc primò ad eos etiam, qui propriâ culpâ inciderunt in morbum. Covar. l. 3. var. c. 3. num. 8. Azor. p. 2. l. 7. c. 7. q. 10. Cenedo. qq. can. l. 1. q. 1. num. 7. Monet. de quotid. distrib. p. 2. q. 6. n. 11. Barbol. in c. 1. h. t. n. 3. Et sic percipere adhuc possunt distributiones, qui intemperanter vivendo sibi infirmitatis, & quò minus interesse potuerunt divinis, causa fuerant; cum cit. c. unic. statuitur, distributiones percipi posse ab omnibus, qui à divinis absunt ex causa infirmitatis, nulla distinctione facta inter causas infirmitatis; ea etiam ratione, quòd ex intemperantia illa secuta sit per accidens & præter intentionem clerici, qui intemperantiam illam satis luit decumbendo, ita Wiestn. h. t. n. 7. citato Covar. l. 3. var. e. 13. n. 8. Cur verò ob culpam suam conjectus in carcerem, vel pulsus in exilium interesse non potest divinis perdat, potiùs distributiones, quàm qui ex culpa sua incidit in infirmitatem, causam dat Pirh. l. c. n. 88. quòd culpa ordinariè non sit causa moralis, sed potiùs physica infirmitatis; cum hæc non sit pœna illius culpæ, sed sequatur ex ea veluti effectus naturalis, adeoque nec causa moralis absentia à choro, & hæc soli infirmitati adscribenda. Crimen

verò, ob quod quis conjicitur in carcerem est causa moralis istius pœnæ, scilicet incarcerationis, adeoque etiam crimen censetur causa moralis absentia à choro; & sic reus ob delictum merito privatur distributionibus. Extenditur secundo non solum ad eos, qui vero constanteque morbo laborant, sed etiam ad eos, qui consilio Medici medicinam sumunt v. g. utuntur balneis, minuuntur sanguine, aliò se conferunt sanitatis causâ, vel à civitate abesse coguntur, utpote suspecti de morbo aliqua contagioso. Monet. l. c. n. 7. Barbol. l. c. Pirh. l. c. n. 86.

3. Limitatur e contra, ita ut clericus, etiam dum sanus erat, non solebat residere aut interesse divinis, & hinc distributiones non recipere, eas etiam postmodum, superveniente infirmitate, recipere non debeat; cum tunc potiùs causa absentia & omissionis divini officii censetur continuata negligentia, quàm superveniens infirmitas. ita tenent, Monet. l. c. n. 11. Castrop. l. c. Cov. l. c. Azor. l. c. q. 11. Guttier. qq. can. l. 1. c. 1. n. 138. Barbol. l. c. n. 2. & de potest. Ep. p. 3. alleg. 53. n. 166. Wiestn. h. t. n. 4. Pirh. l. c. quamvis is ex Castrop. n. 5. dicat, contrarium esse quoque probabile.

*Quæst. 52. Quid hoc in puncto dicendum de Clerico mutilato?*

**R** Esp. Neque clericus beneficiarius mutilatus, & per hoc etiam insigniter deformatus, ita ut pariat scandalum aliquod & horrorem aspicientibus, non amittit ex hoc ipso beneficium, nec arcetur à fructibus percipiendis. Pirh. h. t. n. 3. Arg. c. 2. h. t. ubi sermo de Presbytero, qui à Prædone mutilatus duobus digitis & medietate palmæ. cum etiam tali juxta Garc. de benef. p. 7. c. 12. n. 29. Less. de just. l. 2. c. 34. n. 121. Suar. de cens. d. 51. n. 18. & alios, quos citat & sequitur Barbol. ad c. 2. h. t. n. 2. & de potest. Episc. alleg. 42. à n. 55. hoc modo sine sua culpa mutilato conferri possit beneficium, non requirens celebrationem Missæ. Sed neque vitium seu defectus corporis absque propria culpa proveniens, per quod impeditur congruum exercitium ordinis propter impotentiam seu debilitatem, vel notabilem deformitatem, etsi quòd ad ordines suscipiendos irregularitatem inducat, post susceptos tamen ordines non reddit simpliciter seu ex toto irregularem seu inhabilem ad ordines; sed solum ad illum actum seu officium ordinis exercendum, quod ob dictam debilitatem sine periculo